



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Obseruatio astroru[m] an et qua[n]do sit vitiosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

sicut quum quis astringat se doctū, non curat discere.

Assassinus nomen quid significet.

Assassinus nomen est æquiuocum, est enim nomen proprium quorundam infidelium, qui facile inducebantur ad occidendos Christianos. Et contra non ipsos, utpote infideles, sed contra mandantes per ipsos aliquem Christianum occidi, Innocent. iiii. in Concil. Lugd. excommunicationem promulgauit: ut habes in vi. de homicidio. Pro humani. Est etiā nomen vitii, pro quāto apud quosdam iuristas, seu vulgariter dicuntur assassini, qui pro pecunia occidūt hominem, ad alicuius instantiam. Et hi nō comprehenduntur sub censura dicta, quamuis digni sint morte & temporali & æterna: quia conditor canonis de primis tantum loquitur, ut facile deduci potest, & ex eo quod sine additione aliqua illos nominat (utpote tūc temporis notos) & meminit eorum domini, & ex eo quod meminit opprobrii Christianæ dignitatis, & nullius pretii seu mercedis.

Observatio astrorū an et quādo sit vitiosa.

Astrorum observatio ad natiuitates hominum & occurrentia humana, tripliciter peccato subiici potest. Primò, si ea quæ fidei Christianæ mysteria sunt, tanquam subsint cœlestibus causis habeantur. Secundò, si futura contingentia quærantur, seu habeantur ut certa ex cœlestibus causis. Tertiò, si electiones suas quis subiciat cœlestibus causis, ut legi illarum, ita quod vitam suam, actionesq; suas regulet secundū cœlos. Et quodlibet horū triū est ex suo genere peccatū mortale: quia primum est cōtra spiritualitē Christianæ religioni, quæ super cœlos est, immutare potens etiā ipsos cœlorū cursus, iuxta id quod scriptum est, Confessio eius super cœlum & terra, & experientia testata est. Secundum verò est contra

veritatem

28 Astrorum obseruatio.

veritatem doctrinæ Christianæ, & liberi arbitrii quod
domini sumus nostrorum operum. Tertium est con-
tra dignitatem gratiæ diuinæ legis, ac humanæ men-
tis, qua super omnia corporalia sumus constituti. Et
sicut errare nos subiiciendo passionibus iræ. (odii,
spei, timoris, ita quod haberemus impetus passionum
pro lege: ita vilificamus nos, si inclinationes cœlorum
habemus pro lege: corpora enim sunt, & per modum
passionum inclinant nos. Si quis autem cœlestium
influxuum causas vt inclinatiuas ad ea quæ ex cor-
poribus pendet humana, suscipiat: nec errat, nec pec-
cat: ita quod ex consideratione astrorum timere, ca-
uere, audere, &c. aliquid quatenus ex corporibus pen-
det, nullum peccatum est, seruato moderamine con-
iecturæ, vt scilicet homo, non pro certo, sed cōiectu-
ra habeat quicquid ex cœlo dicitur circa humanas
actiones: non ex ratione, quia catenus scientia astro-
rum: sed quia non subiiciuntur actiones humanæ cœ-
lo, nisi per indirectam inclinationem, hoc est nisi pro
quanto pendet à corporibus. Secundum hæc igitur
iudicare potes eos, qui astrologorum iudicia sequun-
tur circa humana. De astrorum autem iudicis circa
corporales effectus (puta sanitatis, vel infirmitatis,
fertilitatis, vel sterilitatis, pluiiæ, vel siccitatis) nulla
est quæstio, quia hæc absq; peccato fiunt: quoniã effe-
ctus queruntur, & reducuntur in suas causas naturales.

*Astutia quo casu vertatur in pecca-
tum vel mortale vel veniale.*

Astutia (hoc est progressus per simulatas, dolosas,
ad fraudulentas vias ad effectum seu finem ali-
quem) est manifestè peccatum. Et iuxta subiectam
materiam inuenitur vel mortale, vel veniale pecca-
tum. si enim nociua est proximo, inter mortalia cō-
putatur, sicut & mendacium perniciosum, si autem
contra